in quo aliter legatur. Licet in uo dente illud rex. sic  
Gregor. lib. 33. Moral. c. 3. interpretatur. at uero Hebr.  
non sic legunt, sed sic: Et rex qui non Sabet, qui con-  
tra eum insurgat. Verba sunt umalec al cum Simo,  
ubi nota duas esse dictiones al id est non, cum beno-  
ni, quod significat insurgens. illud Sim, est praeposi-  
tio contra, aduersus. et uau relatiuum, quasi cui non  
est, qui contra eum insurgat. Quod quidam non atten-  
dentes, ex utroque unam dictionem fecerunt. 70<sup>ta</sup>  
Sim non praepositionem, sed nomen, id est populum in-  
terpretati sunt, sic: Et rex concionans in populo suo.  
Lyra putat locum corruptum et legendam: et rex, nec  
est, qui resistat ei. Sed quia non Sabemus codicem ulli  
sic legentem maluit eum Congreg. relinquere, nam pot

625  
V. 27. Est qui stultus

etiam trahi in eundem sensum

Est in multis codicibus legunt et, sicque legit Greg. loco cita-  
to, putat enim hoc esse quartum ex illis propositis, scilicet,  
leone, gallo, anite et stulto hoc. interpretaturq; Antip?  
at reuera sic uerticulus distinguitur à praecedenti, nec  
potest in eo quartum numerari, ut constat ex Hebr. et  
Graec. ubi non legitur et: idcirco loco eius positum est  
uerbum est: nam quartum illud est rex non habens inur-  
gentem contra se. Ad quem sensum illa uerba: Nec est rex qui  
renocanda sunt. Quod si uelis Gregorium sequi, non obest  
interpretationi eius illud est. At reuera uix potest accom-  
modari aniti, illud nec est rex qui resistat ei. Quod  
argumento est non ad anietem pertinere, sed ad regem ip-  
sum, cui non est qui resistat

## ECCLESIASTES.

Cap. 2. V. i. Dixi ergo

Ego Hebr. Graec. Compl. Reg. Ordin. et impri. conuersione  
Ordin. legit ergo.

V. 10. Similiter et indoctus

Ut indoctus, sic Complut. Reg. Ordin. et multi alij etiam  
M. S. Congregatio censuit.

V. 14. Et solitudine

In solitudine. Hebr. in rectitudine. Graec. in fortitudine  
Latini cod. legunt ut in textu.

ibid. Quaerita dimittit

In Hebr. et Graec. dimittet. Ordin. dimisit. Reg. Compl. et  
plurimi impri. ut in textu. Omnia in eundem sensum  
coincidunt.

Cap. 4. V. 11. Qui consurget pro eo

Ambrosius lib. instat. Virgini. cap. 12. legit interrogatiue. lo-  
cus obscurus est, lege Hieronymum in comment?

Cap. 7. V. 18. Sustentare iustum et

sed et legunt Compl. Reg. Ordin. et alij. Iustum Hebr. et  
Graec. legunt loco eius istud. Attende tamen iustum hoc  
loco significare quod iustum est. quale est quod praedictum  
est in priori uerticulo.

Cap. 8. V. 12. Vanitas super terram.

Vanitas quae fit super, sic Compl. Reg. Ordin. et alij pluri-  
codices.

Cap. 10. V. 1. Et gloria parua et ad  
tempus stultitia

Compl. Reg. Ordin. et aliqui impri. sic legunt: Priorior  
est sapientia, paruaque gloria ad tempus stultitia. At  
Hieronymus illud parua connectit cum stultitia, licet  
non legat illud ad tempus, et haec lectio consonat Hebr.  
nam sic habet, quietosam à sapientia et gloria, parua  
stultitia, sicque notat Lyra debere parua connecti  
cum

cum Stultitia. 70<sup>ta</sup> aliter legunt. Vide quae nos late  
scripsimus de hac sententia. Illud et addidit Sixtus  
et Congregatio retinuit.

Partem. Hebr. Graec. Compl. Reg. et alij Codices legunt  
in singulari. Similiter Ambrosius Luc. 6. et Hieron.  
in Comment. et sensum clariorem facit, ne uideatur  
connecti cum septem et octo. Hic enim sunt in cano  
dandi. Ordin. et nonnulli Codices et Gregor. Emil. ib.  
in Ezech. legunt partes.

LIBER SAPIENTIAE  
CANTICA CANTICORVM.

Cap. 1. V. 6. Gregem luporum

Non Sabent Hebr. neque Graec. nec in multis impres:  
sis et M. S. Gregor. etiam lib. 30. Moral. c. 12. et lib.  
ib. c. 21. non legit, et super Cantic. non explicat.  
Laurentius Justin. sermone de S. Luca non legit.  
Etiam ante omnes nec Origen. Com. i. in Cantic. in fi-  
ne nec Ambros. serm. 2. in psal. 118. V. i. nec Lyran.  
Sabetur tamen in Complut. Reg. et Ordin.

Cap. 2. V. 9. et 11. Surge propera

In neutro loco Sabetur in Hebr. et Graec. immo in Hebr.  
legitur: Surge tibi amica mea, formosa mea, et abi-  
tibi. Greg<sup>o</sup> in 2<sup>o</sup> loco non interpretatur propera  
cum interpretetur illa duo surge et veni. Hec in tex.  
eius legitur, cum legat in priori loco; Interlinearis Glo.  
quius propera interpretatur, non autem posterior; cu  
in utroque loco interpretetur surge. Quaedam etiam  
M. S. non legunt, nec Louanienses, Congreg<sup>o</sup> expuncit.

Cap. 4. V. 1. Absque eo quod intrin:  
secus latet.

Absque eo quod intrinsecus latet. Solebant puellae pro  
Eonestate comam ante faciem spargere et per illam nec  
toti oculi, nec totae genae uideri poterant. Partem  
ergo oculorum, et genarum, quae per comam apparere  
poterant, et uelut prominabant ualde laudantur. Omis:  
ris quae occultabantur, ut significet adhaec maiorem  
superuene pulchritudinem, quam quae extrinsecus ui-  
deni poterat.

V. 2. Greges caprarum  
V. 3. Greges tonsarum

Greges in utroque loco legitur Graec. in Compl. Reg. Ordin.  
et in omnibus fere codicibus et M. S. At quoddam  
M. S. montis Amati Sabet in utroque loco gregis. In  
Hebraeo est in singulari, et cum non Sabeat uariatione

- in canibus potest legi, sicut grex, et sicut gregis. 70<sup>ta</sup> in ca.  
 su recto interpretati sunt uti diximus. et in plurali, sic  
 que Sabent Latini codices.
- Cap. 5. V. 9. Dilectus tuus ex dilecto Dilectus ex dilecto, id est dilectus grae alijs dilectis.
- Cap. 6. V. 8. Matris suae. Hebr. et Graeci Matris suae
- Cap. 8. V. 5. Ascendit de deserto. Ita in Hebr. et apud Gregor. lib. 16. Moral. c. 9. et Bernard.  
 in sent. Moral. et Rupertus, Quamvis quidam legant  
in deserto, sed uerior est prior lectio.

## LIBER SAPIENTIAE

- Cap. 1. V. 3. Maledictum a labijs Maledicum Graeca et M. S. et Congreg. utraque le-  
 gunt maledicum. Compl. Reg. Ordin. et multi impressi  
 ut in textu. Sensus est; Spiritus sapientiae non sinet  
 impunitum maledicum, propter ea, quae labijs suis  
 locutus est.
- V. 11. Et sanabiles fecit Id est aptus ad sanitatem
- V. 12. Iniustitia autem mortis Part illa iniustitia autem est mortis acquisitio non habet  
est acquisitio. Graec. nec in uetustis codicib. M. S. utraque Congreg.  
 expunxit, licet legatur a Compl. Reg. Ordin.
- V. 13. Morte digni sunt qui Graeca et uetusta exemplaria latina non legunt morte  
sunt et loco sunt posterioris Sabent sint. estq; sensus pul-  
 cter; Tales digni sunt, ut sint ex parte illius scilicet mortis.
- Cap. 2. V. 8. Hec ueterano, nec reue- Hec ueterani reueremur canos multi temporis. sic Graec.  
reamur canos multi tem- Man. S. et Congreg. At Compl. et Reg. ut in tex.  
poris.
- V. 9. Lex iniustitiae Iustitiae legunt Graec. M. S. Ordin. et Glon. interlin. sic  
 exponit. Utraque Congreg. probauit, Complut. et Reg. ut  
 in textu.
- Cap. 3. V. 2. Et quod ab itinere iusto Sic Sabent Graeca.  
abierunt in exterminium;  
et quod a nobis est iter  
exterminium.
- V. 6. Fulgebunt iusti Graece non habetur iusti, sed uerbum fulgebunt, neclatur  
 antecedentibus sic: In tempore uisitatonis eorum ful-  
 gebunt. Nempe iusti, et postea sequitur clausula: et  
 tanquam scintillae; At uero ndam lectionem scilicet:  
Fulgebunt iusti et tanquam scintillae etc. sequuntur  
 Cyprian. epist. si. ad Sergium, et lib. de laude Martyrij.  
 Similr

Similiter Gregor. lib. 33. Moral. cap. 3.

Cap. 13. In consumptione erunt

In consummatione, sic Graec. id est non perveniet ad perfectionem, Ambros. serm. 65. legit consummatione, sic Compl. Reg. Ordin. et idem est sensus. nam consummationem accipit pro consumptione non pro perfectione.

Cap. 3. Super spuria vitulina

At Latine consummatio in hac parte accipitur. ideo legendum in consummatione, sic Graec. et M.S.

Vitulamina. August. lib. 2. de doctr. 7<sup>na</sup> c. 22. affirmat per errorem quosdam uertisse vitulina, cum uerti deberit plantationes, quod August. dictum argumens est antiquitatis Suis versionis, et Vulgatum interpretem sic uertisse. Nos autem non intendimus corrigere Vulgatam translationem, sed eam qualis ab interprete illo facta fuit inuenire. Non tamen adeo est spernenda uersio. Nam Ambros. epist. 7. usus est ea, et Soc. similiter uocabulo, tanquam. . . . inquit, vitulina pullulantes. Vitulina autem accipitur sic, ut significet palmites, qui a uitis fructiferis scinduntur, et plantantur, ut fiant uites, et fructificent. quod etiam fit in alijs arboribus, quorum rami iterum plantantur ut fiant arbores. Solent enim ramusculos ad radices producere, qui dicuntur stolones, et si plantati fiunt arbores.

Cap. 5. Omnes filij

Somnis. Compl. Reg. Ordin. et multi codices legunt Omnes. corrupta tamen est lectio. Graec. legunt somnis, id est, ex iniquis cubilibus scilicet adulterijs, aut fornicationibus. sic sensus fit aptus.

Cap. 13. Videbunt autem

Sixtus mutauit, nam Compl. Reg. Ordin. et alij multi legunt enim. At uero Graeci et M.S. neutrum legunt. et haec est uera lectio enim.

Cap. 5. Cap. 2. Gementes pro angustia spiritus.

Et pro angustia spiritus gementes, sic habent Graec. M.S. Congregatio.

Cap. 11. Deum iram

Duram.

Cap. 6. Cap. 8. Custodirent iustitiam iusti iudicabuntur

Iusta, iuste iustificabuntur, Sic Graec. M.S. sic etiam Cipria. de singl. Cleric. et August. in Spec. legit iustificabuntur.

Cap. 7. Cap. 1. Ex genere terrero

terreni, Graec. M.S. utraque Congreg. At Compl. Reg. Ordin. terrero.

V. 2. Fraternitas deperijt

V. 3. Propter quod

V. 4. In consensu superbiae  
ibid. In filiis miserencordiam

Caput 10.

V. 5. Et incredibilis anima

V. 6. In hoc lappi sunt

V. 8. Haec autem

ibid. Honestavit illum

Fraterni. Ita Graec. mult. M. S. et Congreg. utraque. Lo-  
quitur de Cain. in quibusdam impr. legitur Fraternitatis  
quem. Graec. et quaedam M. S. et Congreg. utraque, refertur  
ad Cain. quasi malorum principem, ideo diluuium ei imputatur.

Nequitiae. Graec. Compl. M. S. utraque Congreg.

Filij misericordia. Sic Graec. M. S. et vetust. quidam im-  
pres. utraque Congreg. loquitur de Abraham, quem Deus  
fortem custodiuit, ne misericordia et compassione filij  
motus ab obedientia Dei discederet.

Incredibilis, id est incredula: saepe enim incredibilem pro  
incredulo accipit

Laesi sic Graec. M. S. utraque Congreg.

Ancem non habent Graec. nec vetusti Codices, et M. S.

Honestavit, id est, locupletavit. similiter Honestum, Diuitem.

Cap. 7. V. 7. Honestare per manus

V. 10. Operum scientiae, disci-  
plina

V. 11. Et consummationes tem-  
porum, morum mutatio-  
nes, et diuisiones tem-  
porum.

ibid. Qui nihil uetat benefa-  
cere

Honestatem pro diuitijs accipit interpret.

Scientia et disciplina. Graec. M. S. utraque Congr.

Et commutationes temporum, sic Graec. M. S., mouens  
Amati. Utraque Congreg.

Quem nihil uetat benefaciens, sic Graec. M. S. Sancti  
Pauli rursu Caroli Magni scriptus. Sic etiam Ambr.  
lib. de diuinae Incor. myst. in fine.

Est enim. Graec. Compl. Reg. Ordin. enim.

Connectitur iuuenis cum superiore, sic Graec. M. S.  
et aliqua impr. utraque Congreg.

Cognitione Graec. M. S. mult. impr. Congreg. et 70. Rom.

Sic. ita Graec. Hieron. in Ezech. in M. S. et Bonau.  
utraque Congreg. licet Compl. Reg. Ordin. legant si.

Cap. 11. V. 14. Menas aut ignotas

Cap. 12. V. 2. Qui errant ex partibus

V. 3. Deuoratores sanguinis  
et auctores.

Compl. Reg. Ordin. legunt. et. Sixtus aut. At Graec.

M. S. nunc tantum legunt, et utraque Congregatio.

Qui ex partibus errant, id est per partes et paulatim.

Sanguinis a medio sacramento tuo. Haec uerba hoc  
loco ponuntur Graec. et M. S. et Congreg. Compl. Reg.  
Ordin. ut in textu paulo inferius. Vetusti autem, qui-  
dam impr. ut in Graec. locus est ualde obscurus. multa  
dicit Jansen.

et

v. 12. Et Sorum qui te nesciunt  
audaciam traducis

Alg. lib. 83. 99. q. 53. sic legit: Sed in his qui te sciunt  
audaciam traducis, sic enim Graeca Sabent. Quidam  
alii, nempe Reg. legit sic. et eos, qui te nesciunt in  
audacia traducis.

v. 15. Et liberasti dans tempus

Non solum Graec. et quidam M.S. et videtur aduer-  
sari sensui, nam loquitur de Aegyptiis, quibus etiam:  
dedit locum poenitentiae: tamen quia eos non pae-  
nituit, non liberavit eos, sed perdidit.

v. 14. Quoniam iudicans

Iudicans Graec. non Sabent, tamen convenientem habet  
sensem.

v. 20. In his enim quae patiebantur  
molestie ferebant

Sic legunt Graec. M.S. et Cong. et sensus postulat.

ibid. In quibus autem  
ibid. Venit super illos

Sic Graec. M.S. Congreg. pro autem enim.  
Venit. Sic Graec. loquitur de re praeterita, scilicet de  
poena Aegypti, illata. sic M.S. utraque Congreg.

v. 8. Ad nullos est usus, facit.

Ad nullos usus facit. sic Graec. Compl. Reg. Ordin.  
et M.S. Congreg.

v. 2. Si sine rate

Arte. Graec. M.S. Codic. correcti, Congreg.

v. 25. Non enim iurantium est

Juratorum. Graec. M.S. Congreg. sensus est: Non iur-  
tus verum, per quas iurare punit peccantes, seu male  
iurantes, sed Dei iudicium, quod poena infligit.

v. 4. Digni sunt morte.

Sic Graec. M.S. et quaedam impressa correcti et Congr.  
aptam faciunt sensum.

v. 12. Aliquis ex his animalibus  
bona potest conspiceret

Conspicere Graeci concupiscere. Latini ut in textu. et  
in eundem tendit sensum

v. 9. Exterminabuntur.

Exterminabuntur. Reg. Compl. Ordin. At exempl. an-  
tiqua impr. et M.S. Sabent examinabuntur, quia  
non peribant puncti a serpentibus et aspicientes ae-  
neum, sed purgabantur, iuxta illud psal. Igne me  
examinasti. Bonau. utrunque legit. At Graec. sti-  
mulabitur, et Saec est accommodatio lectio. Sed Latini  
Codices non Sabent. Congreg. legit examinabitur.

v. 11. Per malitiam animam  
suam.

Animam suam. Graec. non legunt, et M.S. et sensui  
non quadrat: quitalis est: Homo per malitiam potest  
occidere hominem, sed non potest occisum vivificare:  
Congreg. expunxit

v. 17. Substantiam enim tuam  
et dulcedinem

Substantia enim tua dulcedinem. Graec. et vetusti Codic.  
Congreg.

v. 21. Et tunc in omnia

Illud in non Sabent Compl. Reg. Ordin. tamen legunt  
Graec. M.S. et emendati impr. est enim sensus: tras-

- ibid. Qui a te desiderati sunt. *figurata est creatura in omnia.*  
*Desiderabant.* sic quaedam M.S. et conuenit Graec. quae  
 sic Sabent: Ad uoluntatem egentium, id est, a te deside-  
 rantium. *Congreg.*
- v. 22. Ad orientem. *ortum.* sic Compl. Reg. Ordin. et alij multi Codic. et  
 impr. *Congreg.*
- Cap. 17. v. 6. Et sapientiae gloriae cor- *Sic M.S. et Congreg. At Compl. Reg. Ordin. legunt gloria*  
 reptione
- v. 9. Frequenter enim praecocci- *Hanc uersum non legunt Graec. nec alij. M.S. et uidetur*  
 pant pessima sed aequa- *applicatio sequentis. Congreg. utraque expunxit.*  
 te conscientia.
- v. 12. Computat scientiam. *In scientiam.* Compl. et Reg. legunt: *Maiozem putat po-*  
*tentiam.* Ordin. *Maiozem computat potentiam.* quidam  
 Codic. legunt *sententiam.* quidam *audaciam.* quidam  
*scientiam.* At Graec. *Ignorantiam,* quam Latinus uer-  
 tit *in scientiam,* sicut supra cap. 14. et sic M.S. quaedam  
 et *Congreg.*
- v. 15. Si autem *Enim.* Graec. Compl. Reg. Ordin. *Congreg.*
- Cap. 18. v. 8. Patris omnium. *Patrum iam,* sic Graec. u. Cod. antiqui, et M.S. Bonau.  
 legit, *Patris decantantes laudes.* Compl. Reg. Ordin. ut  
 in textu. *Congreg.* cum emendat.
- v. 13. Sermo tuus exiliens *Exiliens non habent Graec. M.S. Congreg. et superfluit.*  
 nam dicit inferius *prosiluit.*
- ibid. *Insimulatum.* *Id est non fictum.*
- v. 18. sine querela deprecari *Graec. et uetustum exemplar loco precari legunt propugna-*  
 uit, reliqui cod. ut in textu.
- v. 19. Armatura potentiae *potentia* Graec. M.S. *Congreg.* At Compl. Reg. Ordin. ut  
 in textu.
- Cap. 19. v. 1. Paenitentiae actus *Paenitentia acti.* Graec. uetust. exempl. *Congreg.* At Compl.  
 Reg. Ordin. ut in textu.
- v. 2. Ut quae deerant tormentis *Ut quae deerant tormentis, repleverit punitionem.* Ita Graec.  
 et alij. M.S. At Compl. Reg. Ordin. et plur. Cod. et *Congr.*  
 ut in textu.
- v. 10. Et alius quidam *quidam,* Graec. M.S. et *Congreg.*

## ECCLESIASTICVS.

- Cap. 1. v. 31. Sis incredulus *Incredibilis.* saepe *incredibilem* ponit pro *incredulo,* seu  
 inobediente, sic cap. 2. n. 16. sic Compl. Ordin. Reg. et alij  
 cod. et M.S.

cap. 2. V. 16. Erunt incredibiles  
 V. 4. Diligit Deum  
 V. 9. Benedictio a Deo  
 V. 21. Sed confusio  
 cap. 4. V. 14. Creaturae illius

id est increduli, seu inobedientes.  
 Patrem. Graec. M. S. Congreg. prior, et ex parte posterior.  
 Ab eo Graec. M. S. Congreg. prior, et ex parte posterior.  
 Circa confusio Graec. M. S. Congreg. prior, et ex p. post.  
 Graec. legunt illorum, Compl. Reg. Ordin. et alig. impr.  
 at vero quaedam Graec. et latin. M. S. Sabent illius  
 ut notat Jansen. sic censuit prior Congreg. Crea-  
 turae dicuntur Graece generationes, id est, filij, seu  
 posterij.

cap. 5. V. 4. De propitiato peccato

Ordin. legunt de propitiato peccatorum Consonat  
 lectioni Graec. quae nunc habetur, q. talis est: de pro-  
pitiatione noli esse multum securus. Cum Ordin. legunt  
 aliqui recenter impressi. At vero Compl. Reg. et plur.  
 impr. et M. S. legunt ut in textu. Illud autem quod  
 sequitur. Neque adicias. Graec. connectunt praecedenti  
 sic, Noli esse securus in adijciendo, sive ut adicias  
 peccatum super peccatum. At latini Codic. omnes le-  
 gunt ut in textu. Rabanus autem lib. i. c. 19. neu-  
 trum legit, sed tantum, Noli esse sine metu.

V. 21. Verbum Dni

Dni non legunt Graec. et in alig. M. S. nec a Rabano,  
 et impedit sensum. agitur enim generalr de au-  
 diendo mansuete, et respondendo prudenter, utraq.  
 Congreg. expunxit, licet legatur a Compl. Reg. Ordin.  
 et alijs impr.

V. 14. Appellens in vita tua

Non leguntur Graec. nec M. S. utraque Congr. expunxit.  
 In aliquibus Codicib. legitur Deuotatio sed est mendum,  
 legendam est cum textu. sic Graec. Compl. Reg. sic Lyra.  
 et Diony. interpretantur, quia bilinguis signatur  
 ignominiose ab omnibus. Ordin. legit Deuotatio. et In-  
 terlin. sic exponit. est tamen lectio corrupta.

V. 15. Et denotatio pessima.

cap. 6. V. 24. Continens factus

Id est particeps, seu compos factus, seu cum obtinueris.  
 Stola Graec. et M. S. et correcti Codices. Non enim  
 est sensus ut sapientiam induamus stola, sed quod  
 nos induamus sapientiam ut stola. Ita legit Greg.  
 Raban. Utraque Congreg.

V. 26. Stola gloriae.

cap. 7. V. 4. Quaeere ab Somine

A Domino. Graec. M. S. Congreg. At Compl. Reg.  
 Ordin. et alijs, ab Somine.

V. 6. In agilitate

aequitate Graec. M. S. Congreg.  
 Compl. Reg. Ordin. et mult. impr. legunt amare, at  
 mendum uidetur. Graec. enim legunt arare estq.

V. 11. Noli amare

153  
 pravis Hebr. Ore. io. dicitur arare impietatem. et  
 psal. iij. ubi legitur, super dorsum meum, ubi in Hebr.  
 est, arauerunt aratores. sic etiam legunt impr. quae-  
 dam correcta et Congreg.  
 v. 27. Honora patrem tuum Compl. Reg. Ordin. et multi Cod. illud, in toto corde tuo  
 connectunt praecedenti, scilicet ne credas te. At uero  
 Graec. M.S. connectunt sequenti, Honora patrem  
 sicq. censuit Congreg.  
 Cap. 8. v. 7. Nolumus uenire Graeci non habent Sanc partem in gaudium nolumus  
uenire. Compl. et Reg. legunt Nolumus. at Ordin. et  
 Raban. et Lyra legunt Nolumus, id est, nolumus quod  
 alij de morte nostra gaudeant, Ne ergo gaudeamus de  
 morte aliorum.  
 v. 9. Dabis responsum Dare Graec. M.S. sensus quae est accommodatio. utraq.  
 Congregatio.  
 Cap. 9. v. 2. In uirtute tua Virtutem tuam. Graec. M.S. Congreg. utraque.  
 Cap. 10. v. 3. Sensum prudentium. Graec. M.S. Congreg. legunt potentium et sensus est  
 accommodatio.  
 v. 4. Potestas terrae Compl. Reg. Ordin. post terrae habent: et execrabilis  
omnis iniquitas gentium. At Graec. non habent, nec  
 aliq. M.S. et impedit sensum, et superfluum est. Nam  
 v. 7. sequenti ponitur. Congreg. utraque, et Sixtus expunxit.  
 v. 5. Potestas hominis Sic Compl. Reg. Ordin. At Graec. M.S. utraque Congr.  
Prosperitas.  
 v. 7. Iniquitas gentium Iniquitas Graec. & Dicitur. id est iniustitia, iniquitas  
 id est inaequitas saec gentium, iniustitia est illa: in  
 quam inuenitur Paul. Rom. i. Neutr inquit ira de  
 caelo super omnem impietatem, et iniustitiam ho-  
 minum eorum, qui ueritatem Dei iniustitia detinet.  
 Idem est sic uocabulum Graecum & Dicitur. Idololatria  
 enim est quaedam iniustitia hominis contra Deum. Nam  
 cultum aufert ab eo, cui debetur, et dat cuius non est.  
 Diuinitatem negat ei, qui uerus est Deus, et tribuit ei, qui  
 creatura est. Haec iniustitia execrabilis est, quae  
 gentium erat propria.  
 v. 24. Magnus est Iudex et iudex. Graec. et aliq. Ordin. et utraque Congreg. illud  
Magnus ponitur est pro Magnates.  
 Cap. 11. v. 4. In Brono Graec. paumento aut solo. tamen omnia exemplaria la-  
 tina legunt Brono.  
 v. 7. Medio sermonum Compl. Reg. Ordin. legunt seniorum. at Graec. M.S.  
 et aliquot

et aliquot impr. sermonum. sicque Lyra interpretat, licet referat lectionem priorum, utraque Congreg. et Sixt. Sermonum.

v. 13. Sapientia et disciplina, usque ad v. 15.

Haec sententiae non leguntur in quibusdam exempl. Graec. et latin. M. S. tamen Sabent Compl. Reg. Ordin. et in Graec. qui sunt in Compl. et Reg. et plur. impr. lati. et omnino sunt de textu. sequitur Jansen.

v. 16. praeteriat<sup>io</sup>

Graec. et M. S. legunt in futur. Congreg. utraque.

v. 19. Honestare

Honestasse appellat locupletane, ut alias.

v. 31. A tuis proprijs

Compl. Reg. uis. Ordin. uitijs, sed corrupte pro uis. et Graec. M. S. Raban. et Interlin. tuis. Congreg. utraque, et Sixtus.

Cap. 12. v. 8. Mius in tristitia

Compl. Reg. Ordin. illud in tristitia connectunt sequenti: sicque textus legebatur, at emendatus est, ut connectatur cum praecedenti in hunc sensum; In prosperitate uiri, inimici eius sunt tristes: At cum aduersa patitur, tunc amicus agnoscitur, quia tristis cum ipsa est. sic diuidunt Graec. et M. S. et Congreg. utraque

Cap. 13. v. 9. Humiliare Deo, et exspecta manus eius

Haec Graec. non Sabent, nec Raban. explicat. At legunt Compl. Reg. Ordin. et omnes fere latini Codic. Sancti Somini. Compl. Reg. Ordin. et des Codic. latini.

v. 22. Sancto, ad canem

Graec. nestimentum. latin. Codic. ut in textu.

Cap. 14. v. 17. Sicut faenum

id est, compes, seu qui obtinet.

Cap. 15. v. 1. Contineus esto

Compl. Reg. Ordin. et plur. Latin. legunt, A tribus impijs. At Graec. et quoddam M. S. antiquum in marg. tribus impiorum. Haec ueram esse lectionem firmat Jansen. et Congreg. utraque.

Cap. 16. v. 4. Et a tribu impiorum

v. 7. Peregrinationi illorum

Compl. Ordin. et plur. Codic. illorum, at Graec. lot, et utraque Congreg. et est legitima lectio.

v. 16. Interrogatio Sominum

Compl. Reg. Ordin. et quidam Codic. legunt Sominum. at Graec. M. S. quaedam impr. Omnium, et utraque Congreg. sensus est: Inquisitio et examen omnium erit in fine: tunc erit iudicium omnium. Hunc a quibusdam longe est testm, id est, quod Deus disposuit illis reddere, quia non cogitant quae futura sub.

v. 23. Denuntiabit

Denunciavit. Compl. Reg. Ordin. et alij multi prior Cong. et Graec.

ibid. In ipsa iterum.

Ipsam Graec. M. S. Congreg.

v. 17. v. 16. Quasi sacerdotus

Signaculum. Graec. M. S. Raban. et Aug. in spec.



- Congreg. Sensus autem est, eleemosynam esse signum seu signum quoddam ante Deum, quod facit et representat opus factum Deo ipsi semper. At Compl. Reg. Ordin. legunt. ut in textu, sed non est legitima lectio. Graec. et aliqui latini non legunt. Compl. tamen Reg. Ordin. et plur. Sabent
- V. 22. Ante mortem confitere.  
 ibid. Quasi nilil perit  
 Graec. clarius: quasi non existente, scilicet, inter uiuos. Augus. serm. 8. de uerbis Domini. De Confess. paenit. interpretatur. at propterea de confessione laudis intelligit.
- Cap. 18. V. 25. Hequius, exagitant  
 V. 6. Qui uenerit operabitur.  
 Hequius quam quid, Reg. Ordin. Gloss. Lyran. Compl. Sic Compl. Reg. Ordin. et alij. at Graec. aporiabitur, quo solet uti interpres. sic Congreg. Sensus est: tam profunda est Dei inuestigatio, ut cum quis uenerit quasi inuenisse arbitrat. tunc maneat perplexus, quasi non inueniat uiam inuestigandi.
- V. 13. Excipientis doctrinam.  
 V. 19. In conspectu Dei.  
 V. 23. Conuersatione facies  
 Excipientis Graec. M. S. Naban. Congreg. Graec. in die inspectionis.
- V. 26. Omnibus metuet.  
 V. 28. Et implorauerunt.  
 facies. Sic Graec. M. S. aliquot. Dion. Congreg. At Compl. Reg. Ordin. facies. quamuis possit esse in Genitiuo. Nam praeci declinabant sic in s. sicut in 4. declinatione, ut similis esset recto casus gignendi. Metuet. alij. impr. M. S. Congreg. Compl. Reg. Ordin. et multi impr. implorauerunt. at corrupta uidetur lectio ex Graecis. legunt enim implauerunt, legendum g. est impluerunt.
- V. 32. Nihil in saeculo.  
 Cap. 19. V. 10. faemoni canis  
 V. 21. Et est iustus qui se, r.  
 Compl. Reg. Ordin. Sabent saeculo, uidetur mendum. Nam Graec. M. S. Sabent saeculo. sic Cong. et Sixtus. Legebatur quius in ceptu canis, sicut in Ordin. at legendum carnis. sic Graec. M. S. Compl. Reg. et Congr. Graec. non legunt, nec alij. M. S. nec quae dicuntur conueniunt iusto. Congreg. expunxit.
- Cap. 21. V. 15. Est autem insipientia.  
 V. 18. Et adijciat  
 V. 31. Qui cum eo  
 Compl. Reg. Ordin. Sabent insipientia. at Dion. testat quosdam Cod. legere sapientiae: siquae Lyranus interpretatur, et consonat Graecis, licet Graec. paucioribus uerbis hanc sententiam explicent, sic Congreg. utraque, et M. S. aliquot. ad se adijciat, Graec. M. S. Compl. Reg. Ordin. utraq. Congreg. Lyran. Naban. Cum et non Sabent Compl. Reg. et Ordin. sed sic. qui per- manserit. at in quibusdam M. S. legitur ut in textu. Graec.

Graec. potius sic legunt: Uicumque manserit odiosus erit  
Congreg. non mutauit textum.

Cap. 22. v. 9. Defecit enim Lux

Compl. Reg. defecit sensu, et defecit Lux eius. at Ordin. defecit primum in praeterito, 2<sup>m</sup> in praesenti legit. Habet autem sensu. Graec. utrumque uerbum Sabent in praeterito tamen Sabetur sensus. Sic legit Naban. additque sensus eius. Quaedam Graec. legunt sensu, id est, secundum sensum, cui consonat lectio sensu Congreg. ut in textu.

v. 19. Vel metu

Vel non Sabent Graeci M. S. et obest sensui. Cong. expugnat.

v. 20. Sicut paleae

Pali. Graec. M. S. Congreg. Pali, seu sustentacula. at Compl. Reg. Ordin. paleae.

v. 25. Ad amicum si aperueris

Compl. Reg. Ordin. illud, ad amicum connectunt praecedenti, sicut erat in textu. at legitima lectio connectit sequenti, ut est in emendatione. Sic Graec. M. S. Congregatio.

Cap. 23. v. 1. In consilio

Consilio Graec. Compl. Reg. Ordin. et omnes Cod. impr. et M. S. Sixtus mutauit, ut in textu.

ibid. In illa exprobratio

In illis Graec. M. S. Congreg. Compl. uero Reg. Ordin. et alij impr. ut in textu.

v. 2. Quis superponit

Superponet. Graec. M. S. Congreg. de futuro.

ibid. Ignoracionibus eorum

In Graec. quae Sabentur in Compl. et Reg. In ignoracionibus meis non parcas tu Domine. Cod. Latin. ut in textu.

v. 5. Animo irreuerenti, et in: fructu

Animae, infunitae. Compl. Reg. Ordin. M. S. utraque Congregatio.

v. 9. Sicut seruus

Sicut enim. Graec. Compl. Reg. Ordin. Congregatio.

Cap. 24. v. 6. In partes Dei mei

Graec. M. S. Naban. part Domini uocabatur populus ille, ut Sabetur Deuter. 32. Utraque Congreg. Compl. Reg. Ordin. legunt partes.

v. 7. In plateis sicut

Sic diuidunt Graec. M. S. Compl. Reg. Ordin. incipiuntq<sup>3</sup> uersum ab illo sicut cynamomum. utraque Congreg.

v. 23. Amani enim abundabit

Abundauit sic Graec. M. S. sensus est. A mari ab abysso id est plus quam mare et abysus. Congreg. et in Graec. et M. S. abundauit.

v. 25. Fluuijs Doris

Fluuij Doris. sic Graec. M. S. id est, ductus aquae. Congreg. At Compl. Reg. Ordin. ut in textu. corrupta tamen est talis lectio.

Cap. 25. v. 7. Nouem insuspicabilia

Sic legunt Compl. Reg. Ordin. et omnes fere Cod. Latini Graec. aut suspiciones, seu uagationes, seu uogitaba, et non legunt cordis, sed in corde. Unde aliqui putant

in uersione nostra legendum suspicabilia. at nostra lectio in sensum eundem recidit. Dicuntur enim insuspiciabilia, quae non ueniunt in suspicionem, an mala sint, sed tanquam bona ab omnibus recepta sunt.

V. 10. Plagam uidebit cordis.

Videbit non est in Graec. legunt tamen Cod. Latini. nec perturbat sensum, is enim est, quilibet uidebit, et eliget omnem plagam potius quam plagam cordis, et omnem nequitiam potius quam nequitiam mulieris. positum est enim ad declarationem ab interprete. Nam aut hoc uerbum, aut simile supplendum est.

V. 11. Magis placebit

Magis non habent Graec. Compl. Reg. Ordin. et alij Cod. supplendum potius est, iuxta phrasim Hebr.

V. 19. Plaga mortis

Sic Compl. Reg. Ordin. at Graec. M. S. Congreg. cordis consonat superiori num. 10. Non plagam cordis.

Cap. 27. V. 21. Dura est concordatio

Dura, Graec. et omnes Codic. lati. non legunt adiecta de nouo, et est contra sensum. Nam dicit quod potius concordabitur propter maledictum, quam propter reuelationem.

V. 23. Multa addiui

Compl. Reg. Ordin. addiui, sed corrupta est lectio Graec. odiui M. S. et aliquot impr. Congreg. est aut Graec. idem uerbum cum eo, quod sequitur odiet illum.

Cap. 28. V. 23. Sepi aures tuas, et

Setam hanc sententiam Graec. sic habent, Ecce circummuni possessiones tuas spinis, et on tuo fac ualuas, et obices, interpretes autem secutus est sensum.

ibid. auribus tuis

Non habent Graec. et aliquot M. S. ac Naban. sed ostia et sevas. ad os referuntur, atque hanc esse ueram lectionem affirmat Jansen. Compl. autem, Reg. et Ordin. et multi impr. legunt auribus tuis: non tamen uidetur lectio accommodata, nam iam de auribus dixerat spinis eas esse secundas, et de lingua interposita sunt quaedam.

Cap. 29. V. 5. Aduersabitur

Graec. non legunt aduersabitur, solidi, Latini uarij sunt, quidam aduersatus, quidam auersatus, quaedam aduersabitur, ut Compl. Reg. Ordin. Quaedam auersabitur, quaedam solidae, quaedam solidi. nostra lectio accommodata est, et eundem sensum habet, siue legas per participium, siue per uerbum.

V. 6. Causa nequitiae, faenerati

Non faenerati. Graec. M. S. et impr. faue omnes legunt duplicem negationem, et sic interpretes legunt, sensusque postulat, licet aliqui Codic. sine priore negatione legant. Compl. autem Reg. Ordin. duplicem habere negationem. Si sextus exponit posteriorem, et lectio in nullo Codice reperitur.

h. ii. ab omni malo

Complut. Reg. Ordo. Soc in loco interponunt Sos duos versus. Elemosyna veri quasi saccubus cum ipso, et gratiam Sominis quam pupillam conservabit, et postea reurget, et retribuēt illis retributionem, unicuique in caput illond. At Graec. non legunt, et M. S. nec Augus. in Speculo, ubi contextum citans ex antecedentibus et sequentibus, et tamen omittit Sos versus, et non auctoritate dantur Sui loco, pertinent ad cap. 17. ubi leguntur eisdem verbis, Congreg. utraque expunxit, et Sixtus. Jansen. etiam ab hoc loco expungenda censuit.

Cap. 30. h. 25. Corn bonum  
h. i. Vigilia Sonestatis  
h. 2. Cogitatus praescientiae

et bonum. Graec. M. S. Congreg. utraque. Honestatem appellat. diuitias, sicut alias. Cogitatum praescientiae appellat eam cogitationem qua homo futurus eventus inquirat. quae solet diuitibus esse frequens, et aliquando prae nimietate, demerata.

h. 10. et perfectus est

Inuentus est. Complut. Reg. Ordin. et quaedam impr. At Graec. non legunt, et aliquot M. S. Congreg. utraque non legit.

h. 11. Non aperies  
h. 12. Non dicas

aperias. Compl. Reg. Ordin. Codic. fere omnes. Ordin. et quaedam M. S. legunt, loco sic multa simultanea at Graec. ostendunt lectionem falsam. ibi enim legitur multa, Compl. Reg. Ordin. legunt, si multa. at Graec. no legunt sic. ideo lectio legitima, ne dicas sic; congr. censuit.

h. 18. Vinum exiguum

Vinum Graeci non legunt, tamen latini Cod. fere omnes legunt, Congreg. retinuit.

h. 24. In nequissimo pane

Nequissimo in pane. Nequissimo est nomen substantivum, quod regit Ablativum, dicitur enim nequissimus in pane, qui defraudat panis mensuram, aut vitium aliquo committit in eo, contra Sunc civitas murmurat, cuius communis cibus est panis.

h. 25. Delectantes

Diligentes, ita Compl. Reg. Ordin. M. S. Congreg. Raban. autem delectantes Graec. diversa sunt.

h. 27. Sominibus vinum  
h. 28. quae vita est, quae

Vinum in sobrietate. Graec. Compl. Reg. Ordin. Congreg. quae vita ei qui. Sui Graec. Raban. M. S. Congreg. Complut. autem Reg. Ordin. ut in textu.

Cap. 32. h. 3. Diligentis scientiam

Scientia, id est, exacta scientia, et intelligentia loquatur senex, sic M. S. Congreg. et consonat Graeco.

h. 16. replebitur ab ea scan-  
dalizabitur ab ea

In ea. Graec. M. S. Congreg. prior.

h. 21. Scandalum a filijs

Et a filijs Graec. Compl. Reg. Ordin. Congreg.

Cap. 33. V. 15. Duo contra duo

Compl. Reg. Ordin. legunt ut in textu, et quaedam M. S. Duo duo unum contra unum. Alia M. S. Duo et duo et unum con unum et haec e legitima lectio, sunt enim duo scilicet contraria, et alia duo contraria, et haec inter se unum est contra unum. Clarius et apertius legunt Raban. similiter et Aug. lib. 11. civit. cap. 18. Bina et bina unum contra unum, iuxta cap. 42. Vers. 18. Omnia duplicia unum contra unum. sic prior Congreg. et ex parte posterior.

Cap. 34. V. 2. Alteius Sominis

Alteius, Graec. non habent, nec M. S. et impedit sensum, nam in speculo est divisio unius et eiusdem. Congreg. expunxit. Compl. Reg. Ordin. ut in textu.

Cap. 35. V. 1. Oblationem

Sic Graec. M. S. et Congreg. utraque. At Compl. Reg. Ordinar. orationem.

V. 2. Et propitiationem usque ad V. 3.<sup>m</sup>

Haec sententia non habetur in Graec. sed habetur sacri-  
ficator salutaris, qui attendit mandatis, et postea sequitur: retribuet, etc. Legunt tamen eam Compl. Reg. Ordin. et omnes formae latini Codices, licet non Rabanus, qui loco eius aliam legit. M. S. habent sacri-  
ficii, cum in Complut. Reg. Ordin. habeatur sacri-  
ficijs. Congreg. utraque non expunxit hanc sententiam, et legendum censuit sacri-  
ficii.

V. 10. adinventionem

Dividenda sunt sic, ad inventionem, id est, iuxta inven-  
tionem manuum tuarum, Jansen. Congreg. divisit.  
Graeca quousque.

V. 19. Ut contribuat

Cap. 36. V. 17. da populo tuo

V. 19. Cor insensatum

Da Complut. Reg. Ordin. at Graec. M. S. Congreg. De  
Compl. Reg. Ordin. legunt insensatum, at Graec. M. S. et  
aliqua impr. et Ordin. in marg. sensatum, sic utraque  
Congreg. Raban.

Cap. 37. V. 6. Opibus tuis

Sic Complut. Reg. Ordin. at Graec. in opibus. sic M. S. Con-  
greg.

V. 7. Cum secreto tuo

Cum eo, qui tibi insidiatur. Graec. Cum eo, qui te sus-  
pectum habet. Compl. Reg. Ordin. ut in textu M. S.  
ut in emendatione. Congreg.

V. 10. Cum viro Religioso

Raban. legit sic: cum viro religioso tracta de sancti-  
tate, et cum iniusto de iustitia noli consilium. Hoc  
autem, noli consilium, refert ad omnia sequentia.  
quaedam M. S. habent sic: Cum viro religioso trac-  
ta de sanctitate, cum iniusto de iustitia, et cum mu-  
liere, etc. connectant autem haec omnia cum verbo  
ultimo non attendas sis. Communis lectio est, quae  
habetur in textu, et exponitur illud, tracta, per irri-  
sionem

ibid. Cum muliere de Sis

sionem dictum, quasi diceret noli tractare.  
de ea, sic M.S. idem Graec. scilicet de pellice cum  
M.S. Congr.º

v. 21. Titubauerit

titubaueris. Compl. Reg. Ordin. legunt, quicumque  
titubauerit, at Graec. M.S. qui cum titubaueris. Congr.º

v. 35. v. i. Honora medicum

Graec. Compl. Reg. Ordin. illud propter necessitatem  
connectit cum antecedenti, sic etiam M.S. et fere om-  
nes Codices. Congreg.º utraque et Lyra sic exponit.  
Sextus mutauit.

v. 2. medicinam

Graec. M.S. legunt medicameta, quibus utitur medi-  
cina, sic Congreg.º at Compl. Reg. Ordin. ut in tex.  
Quae deleta sunt non legunt Graec. nec ulli Codic. M.S.  
nec impr. et superflua sunt, ut ex sequentibus constat,  
posita sunt in margine Louan. non ut de textu, sed ad  
ostendendum quomodo Graeca uerti possunt Congreg.º  
expunxit.

v. 5. ut cognosceretur uirtus  
eius ab Somine

v. 21. Sapientiam scribe

Compl. Reg. Ordin. et nonnulla impre. legunt Sapientia  
scribe, at mendosam eẽ lectionem constat ex Graec.  
et aliquot M.S. ubi legitur sapientia scribae, nõ  
enim uerbum scribae, sed nomen scribae legendum  
est. Congreg.º

ibid. quia sapientia

Compl. Reg. Ordin. legunt, quia sapientia replebitur, et  
connectunt uericulo praecedenti. At Graec. M.S.  
connectunt sequenti, et legunt, qua sapientia replebi-  
tur. Graec. tamen; in quo erit sapiens quod idem  
est, sic Congregatio.

v. 23. Signaculo

Graec. Compl. Reg. Ordin. et omnes Codic. habent signa-  
cula, Congreg.º

v. 25. imperfectionem

legebatur imperfectionem, sic Compl. Reg. Ordin.  
et nonnulli Codic. at Graec. M.S. in perfectionem.  
Congregatio.

v. 39. v. 5. In omnibus tentabit

Hominiibus. Sic Graec. M.S. Raban. Congreg.º At  
Compl. Reg. Ordin. et nonnulli, ut in textu

v. 13. Si permanserit

Male legitur à nonnullis Si permanserit nomen, cum  
ex Graecis constet nomen connecti cum uerbo sequen-  
ti. sicque Louan. et M.S. Congreg.º At Compl. Reg.  
Ordin. misem lectionem habet.

v. 26. Illos confundent

Sic Compl. Reg. Ordin. at Graec. et M.S. placabunt, sic  
Congreg. forsan legebatur confundent, id est, repri-  
munt et sistunt furorem.

Cap. 40. V. 9. Pius letabitur

V. 10. Petrae sonabunt

V. 25. Cogitatione uictus

Cap. 41. V. 19. De furto.

V. 22. Ab amicis caue

Cap. 42. V. 2. Non duplices

V. 5. Omnium uirorum

V. 6. Patris abscondita in  
uigilia

ibid. Adultera efficiatur

V. 12. potens stabilire

Cap. 43. V. 3. Tripliciter sol.

V. 10. Verbis sanctis

V. 17. Verberabit terram

Pius nec Graec, nec ulli Codic. Latini legunt. Loquitur enim de auaro. Nova lectio Sixti est. Cong. expunxit. Sonabunt. Nova lectio. Nam Compl. Reg. Ordin. et reliqui Codices legunt Sonant

Uictus Graeci hunc uersum legunt, licet possit consonantia esse.

Haec connecti debent cum praecedentibus, ut constat ex Codic. plur. et Graec.

Compl. et Reg. legunt caue. Lyr. supplementum dicit. At Graec. M. S. Ordin. Congreg. et aliquot impr. non legunt, nec suppletur, quia repetitur uerbum superius Erubescere

Id est, quae accepisti audita ab altero, ne enunties alteri. Graeca habetur a reiteratione intellige Erubescere sensus est. Si quis tibi reuelauit secretum alterius, tu ne alteri et reueles, sicut fecit ille prior. Solet enim quidam dicere uni. Hoc auise secreto, et sic alteri similia dicit, et sic alteri, sicque publica fiunt, quae erant occulta. Sequens sententia est de primo auidente secretum, ut nemini reuelet. Dicitur enim de reuelatione sermonis absconditi, scilicet, Erubescere secreta reuelare. Veraque haec sententia Graeca est in fine capituli praecedentis.

uirorum. Graec. M. S. Congreg.

Id est, Pater in abscondito uigilat super filiam. Illud uigilia connectitur cum abscondita, ut patet ex Graecis, quamuis quidam diuidant, sed non recte. Nam Compl. Reg. connectunt sequenti, at Ordin. cum abscondita. Compl. Reg. Ordin. Adultera at M. S. et Congr. Adulter pollicitus enim est pater ne transeat filiam aetas matrimonij, iuxta illud i. Cor. 7. ne sit superadulta.

Compl. Reg. Ordin. legunt Stabiles, Sixtus Stabilire. At Graec. et nonnulla impr. M. S. Congreg. stabiliri.

Tripliciter coniungebatur cum uerbo Adonis, at connecti debet sequentibus, ut in emendatione factum. Sic enim Graec. Compl. Reg. Ordin. et Codic. omnes. Sixtus mutauit.

Sanctis sic Graec. Compl. Reg. Ordin. et alij Cod. Congr. Graec. parturire fecit, per metap. significatur dolor terrae, qui fit ut parturientis.

v. 21. Sicut ignem

Compl. Reg. Ordin. et plur. impr. legunt ignem. at aliq. M. S. Raban. Lyran. igne scilicet, sicut quae uruntur igne. Graeci, sicut ignis, cui consonat Lectio igne Cong.

v. 23. Illam Dñus Insulas

In illas Dñus insulas. Compl. Reg. Ordin. et multi Codic. ut in textu. At Graec. et quidam M. S. et Congreg. utraque legunt ut in emendatione. ex similitudine enim verbi Graeci processit, ut loco Insulas, poneretur Jesus. Item Graec. non habent illa in sermone eius siluit uentus, sed tantum, in sermone ipsius placauit abyssum. id est, mare. et plantauit in ea id est, Abyssu Insulas.

Cap. 45. v. 5. Coram praeepta

Compl. Reg. Ordin. legunt ut in textu. Legitima aut lectio Coram praeepta, sic Graec. M. S. Minakia Pij V. Congr.

v. 6. Zona iustitiae.

Compl. Reg. Ordin. legunt iustitiae: at Graec. M. S. Congreg. Glae.

v. 8. Stulam sanctam

Prus legebatur stola sancta in Ablatio, quia Graecis respondet. tamen Compl. Reg. Ordin. et caeteri Codic. in Accusatio, quia connectunt uerbo antecedenti, et quia sequitur opus textile, r.

Cap. 46. v. 3. Percussit

Percussit, Graec. M. S. aliq. impr. Congreg. sensus postulat.

ibid. Aut non in

Annon. Graec. M. S. Congreg. sensus postulat. at Compl. Reg. Ordin. ut in textu.

v. 6. Tergo potentes

Potentis sic Graec. M. S. Congreg. sensus est, secutus est Deum ducem. Compl. Reg. Ordin. ut in textu.

v. 11. Vidit Deum

Deus, Graec. M. S. Congreg. At Compl. Reg. Ordin. Deu.

v. 13. Vocem eius

Suam, Graec. quidam M. S. Congreg. prior et posterior ex parte.

Cap. 27. v. 5. Vbi inuocauit

Compl. et Reg. ubi non inuocauit, Ordin. Vbi inuocauit. at Graec. inuocauit enim, cui consonat, Nam inuocauit. sicut Sabent quidam M. S. et Congreg. Illud aut et dedit Sabent Graec. et Cod. omnes.

v. 10. Dominus purgauit

Dominus sic Graec. et quidam M. S. et consonat illi. 2. Reg. 12. Dominus transtulit peccatum tuum; est enim sermo de David, cui Dñus peccatum illud dimisit. Congreg.

v. 12. Est in inuentute sua impletus est  
v. 15. Et in caeteris

es in 2. persona. sic Graec. M. S. et sequentia in dicant. Congreg. incitan Graec. M. S. Congreg. at Compl. Reg. Ordin. ut in textu.

Cap. 48. v. 3. Deiecit de caelo.

v. ii. Vectus est

v. 22. Vsque in sempiternum

Cap. 49 v. 12. Israel et Jesum

v. 15. Et Joseph

Cap. 50. v. i. Suffulcit

v. 21. Credere nobiscum.

Cap. 51. v. 3. De portis tribulationis

v. 12. Ante tempus  
ibid. Et flouit

v. 13. Laetatum est.

v. 19. In sapientia eius luxit  
anima mea, et igno-  
rantias meas illumi-  
nabit

Compl. Reg. Ordin. Deiecit à se ignem terrae. At Graec.  
M. S. Congreg. Deiecit de caelo ignem terrae  
Cod. Graec. et Latin. Legunt fere omnes tectus est Congr.  
restituit. Sic Compl. et Reg. at Ordin legit rectus est,  
et in marg. uectus est

Compl. Reg. Ordin. Saec connectunt antecedenti, et inci-  
piunt uersum ab illo ostendit. At Graeci, M. S. et Con-  
gregatio diuidunt, ut in emendatione.

Sic et Jesum, Graec. M. S. Congreg. At Compl. Reg.  
Ordin, ut in textu. corrupta tamen est lectio.

Hecque ut Joseph, Graec. M. S. Congreg. prior, et ex parte  
posterior. idem est sensus utriusque lectionis.

Compl. et Reg. diffulsit, at Ordin. et M. S. suffulcit.  
Graec. est praeteritum.

Credere Israel nobiscum. Compl. Reg. Ordin. et caeteri  
Codices legunt Israel, Congregatio.

De multis tribulationibus, sic Graec. Latini aut Codices  
fere omnes legunt ut in textu. sensus idem est.

Templum. Graec. M. S. Congreg. prior, et ex parte post. or  
Et efflouit. Compl. Reg. Ordin. legunt ut in textu. at  
Raban. deflouit. Graec. non utuntur uerbo, sed no-  
mine efflore. incipiunt autem uerbum ex eo, cui  
consonat emendatio. sic in M. S. aliquot.

Connectenda sunt uerba in unum uerriculum cum pre-  
cedentibus.

In sapientiam eius. Sic habent quidam M. S. et probat  
Jansen. licet aliae lectiones reperiuntur. Compl. Reg.  
Ordin. legunt ut in textu.

Cap. 1. v. 14. Manus enim

Enim non habent Hebr. et Hieron. Graec. tamen legunt Compl. Ordin. Reg. et suppletur in Hebr.

v. 17. Audieritis me

Me non legunt Hebr. Hieron. Compl. Reg. tamen habent Graec. Ordin. et alij Codic. plurimi

Cap. 3. v. 1. Ecce dominator

Enim legunt Hebr. compl. Reg. Ordin. et alij Codic. Congr.

v. 4. Patris sui dicens

Dicens, non legunt Hebr. textus Hieron. M.S. Congr.

v. 5. Respondebitq;

Illud què non habent Hebr. nec Ordin. Congr. expuxit.

v. 6. Ruit Jerusalem

Ruit enim. Hebr. Graec. Hieron. Compl. Reg. Ordin. Congreg.

v. 11. Vineam meam

Meam non legunt Hebr. Compl. Reg. tamen habent Graec. Ordin. Hieron. in tex. et in comment.

Cap. 5. v. 22. Vae qui potentes estis, &c.

Isidorus lib. 2. de summo bono, seu sent. cap. 43. Sanc sententiam interpretatur de his qui multum bibunt, et non inebriantur et ex hoc laudantur, eos potentes et fortes ad bibendum appellat Proprieta miscere e-  
brietatem in Hebr. sicera: solebant enim varia genera potus miscere, ut nunc fit ad delectationem

Cap. 6. v. 1. Et plena erat domus a maiestate eius

Hebr. non legunt, nec Compl. Reg. M.S. Congreg. legunt tamen Ordin. et aliquot impr. et Graec. Hieron. non legit, neque interpretatur

v. 8. Videte visionem

Et videte legunt Hebr. Graec. Compl. Reg. Ordin. Congregatio. Vide explicationem sent. signatae apud Isidorum Delusiot. lib. 2. ep. 270. et August. lib. Quaest. in Matt. cap. 14. ubi explicat illud, ne forte.

Cap. 7. v. 4. Syria in malum

Illud in non habent Hebr. et Graec. sed connectitur consilium malum, et textus Hieron. legit pessimum. At Complut. Reg. Ordin. et fere omnes Codices legunt in, sensus idè est.

ibid. Ephraim

Et Ephraim. Compl. Reg. Ordin. alij Codic. non legunt et, non tamen connectitur cum malum, sed Ephraim est in recto casu.

v. 9. Vocabitur nomen

Graec. Hieron. legunt uocabis M.S. qdam, uocabit, ut referatur ad Virginem. Compl. Reg. multa impr. uocabitur. Hebr. uero ambiguum est. nam 2.ª persona futuri masculina est. 3.ª feminina. Vnde potest uerti, Vo-  
cabit scilicet Virgo, aut uocabis scilicet, o domus David. Nam in Hebr. domus est masculini. Sicut co-  
sonat, uocabit. scilicet a te.

Cap. 9. v. 11. Et refrenantem

deprauantem. Sic Reg. Compl. apud Hieron. in Comm.

et in Bibl. impr. et M.S. multis, inferius tamen cap. 19. ubi idem habetur, dicitur refrenantem, corrigitur se quod uenerit refrenantem. in hoc tamen cap. in com. mento exponit non refrenantem, sed deprauantem sicut et interlin. glossa. Vocabulum Hebr. significat iuncum. 70<sup>ta</sup> uertunt paruum. sensum potius quam significationem sequentes. uetusissimi tamen, et emendatissimi codices habent refrenantem. fauet Suic, quia cap. 14. idem est nomen Hebraicum, et omnia exempla habent refrenantem.

Cap. 11. V. 2. Virga oris sui

Graeca ῥογχο, uerbo at Hebraea וַיִּזְוֶה uirga, sicque latina exemplaria

Cap. 12. V. 2. Laus mea Dominus

Compl. Reg. quaedam M.S. legunt Dominus Deus. Hebr. potius Deus Dominus. At Congreg. Ordin. et plurimi impr. ut in text. Congreg.

Cap. 13. V. 4. Et gentium congregatoris.

Et habetur in Graeco, non tamen in Hebr. nec in Reg. Compl. Ordin. nec apud Hieron. nec in antiquis impr. et M.S. multis.

Cap. 14. V. 11. Ut qui te uiderint

Qui te uiderint ad se incli. sic habent omnes Codices Septuaginta mutauerat legendumque uoluit inclinetur, ut erat in Charta superposita.

V. 23. Qui effugiet

Compl. Reg. Ordin. aliquot impr. textus Hieron. legunt effugiat. quaedam uero M.S. legunt ut in textu. Hebr. utranque lectionem admittunt, magis tamen quadrat de futuro.

Cap. 15. V. 2. Et omnis barba,

Et non legunt Hebr. Graec. aliquot M.S. et impr. et legunt Compl. Reg. Ordin. et multi Codic. et in Hebr. et Graec. intelligi debet. Textus Hieron. non est.

Cap. 17. V. 9. Plantationem infidelem

Compl. Reg. Ordin. Hieron. in textu, et in com. legunt fidelem. Similiter et M.S. aliqui impr. infidelem. Hebr. fauent lectioni priori. habent enim loco fidelem, pulsam. at 70<sup>ta</sup> habent infidelem, sensus idem est. Nam in Eccl. gentes a principio infideles plantatae sunt, et factae fideles, Congreg. legit fidelem cum Hieron. et Hebr. qui mittit. Graec. Compl. Reg. Ordin.

Cap. 18. V. 1. quae mittit  
ibid. expectantem

Sic Compl. Reg. Ordin. Hieron. omnes Codic. Latini. 70<sup>ta</sup> habent sine spe. si autem ad hanc significationem transimus expectantem, illud ex, erit priuatiuum, quasi sine spectatione. At Hieron. interpretatur positione quae si cum spe. quidam Hebraizantes uertunt ad gentem sine spe. quae si sonant nunc uerba Hebraea.

Cap. 19.

Cap. 19. V. 11. dicitis Baraoni

dicitis. Hebr. Graec. Compl. Reg. Hieron. Ordin. quadam M. S. legunt dicitis, et sic prior Congreg. posterior vero rectius dicitis, ut in Hebr. Graec. et plur. impr. filij. Ordin. legit filia. Compl. Reg. filij in uocatio plurali. Hieron. testus fili uocatio singulari. in quibusdam filius. Hebr. autem Sabent singulare masculinum, quod uerti potest, aut filius, aut fili. at ex contextu apparet esse uocatiuum. Congreg. eum Complut. et Reg. in plurali, quia in Hebr. etiam si sit singul. pronitum e pro plurali. cum significet multitudinem.

Cap. 21. V. 10. filia Aerae

Armentarium. Complut. Reg. Ordin. et caet. Cod. Cong. Sic Compl. Ordin. et plurim. impr. at Hieron. legit memoriam. Hebr. et Graec. sepulchrum est enim idem nomen quod praecedit, quodq. interpres uertit sepulchrum, dicens, excidisti tibi sic sepulchrum. significat etiam sepulchrum, imo ideo est sepulchrum quia hoc est uelut memoriale, nam Graeca uox, prius significat memoriale, aut monumentum. utrobique idem erat seruandum nomen latinum, aut sepulchrum, aut memoriale, sicut seruatur Hebr. et Graec.

Cap. 22. V. 7. Armentarium  
V. 12. Memoriale

V. 15. Patris sui

Cius. Compl. Reg. Ordin. plurim. impr. legunt sui. at M. S. et Congreg. habent cius; sensus idem est.

Cap. 23. V. 4. manus dicit  
V. 14. Ad merces suas

Dicens. Compl. Reg. Ordin. Hieron. et caet. Cod. Cong. Mercedes. In utroque loco legunt Ordin. alij impres. Hebr. Nam uox Hebr. et Graeca signat mercedem; quod longe aliud est a merceibus. Compl. Reg. legunt merces. Congreg. emendauit.

Cap. 26. V. 2. Nostrae Sion

Sion non Sabent Hebr. Graec. lib. correct. Reg. Compl. nec Hieron. Iyra dicit dictum ab aliquo pro sua imaginatione.

V. 13. Iniqua genuit

In hoc Hier. legi inique. at Compl. Reg. Ordin. et plurimi Cod. ut in textu

V. 19. In tribulationem

Tribulationem. Compl. Reg. Ordin. et alij Codic. Hebr. Graec. consonat. Congreg.

V. 21. Salutis iustitiam

Salutes Hebr. Compl. Reg. M. S. Hieron. Congreg. utraque ut Ordin. alij impr. ut in textu.

Cap. 27. V. 8. Meditatus est

